



*De collocatione vocabulorum iam dictorum in oratione.*

CAP. XIII.

ART. II.

**P**ostquam sylvam vocabulorum propriorum, & mutuatorum, nouorum, & veterum, habueris, de collocatione cogita: quæ requirit ordinem, & iuncturam.

In ordine primò semper augebis in maximum, & in minimum.

Secundo ordinem naturæ tenebis, vt quæ priora sunt prius dicas, vnum diem, & noctem, non è contra, nisi vbi ordo doctrinæ aliud poseit.

Tertio Claudes verbo sensum potius quàm nomine: quod in vulgari lingua etiam Boccacius seruat. Vbi tamen asperitas esset, respice sonum meliorem. Transpones enim donec consonent.

In Iunctura non sit asperitas consonantium literarum in fine præcedentis, & principio sequentis dictionis se collidentium. Neque sit hiulca oratio, vocalium præsertim earundem obuiantium. Nec syllabæ vltimæ Prioris, sint primæ posterioris. Monosyllabarum continuationem vitabis, & polysyllabis intermises. Varietatem amabis, quæ numerum auribus intonet. Nec in his superstitiosus eris. Potius sententiam, quam verba concinnabis. Est vbi aspera requiritur, & vbi hiulca, &c. vide poeticam.

*De Periodis.*

ART. II.

**D**ividitur tota oratio in periodos: quæ sententias complectuntur in oratione conspersas: Periodus secatur in membra, & incisa; quæ sanctus Hier. vocat cola, & commata, cum Græcis. Membrum est sensus numeris conclusus, sed à corpore abruptus, ideo per se vix